



Sammelband

Id  
57.





JO. SCHILTERI  
EPI TOM E  
JURIS PRIVATI,

SIVE

*Totius Legitima Scientia prima*

ELEMENTA,

JURI JUSTINIANO

QUATENUS HOC USU FORI  
GERMANICI RECEPTUM,

accommoda

*Tyronibus Juris Privati*

*apprime necessaria.*



ARGENTORATI,


Sumptibus J. R. DÜLSSECKERI  
ANNO M. DC. XCVI. *CHB.*



PRÆFATIO  
CUPIDÆ LEGUM JUVENTUTI

S.

**E**XHIBVI Vobis, Lectissimi Iu-  
venes, spes futuri Orbis, superioribus  
annis Institutiones Justinianæ ex prin-  
cipiis Juris Naturæ Gentium & Civi-  
lis tum Romani, tum Germanici, ad  
usum fori hodierni accommodatas, confidens, eas Vobis  
cynosuram aliquam ad solida nostræ Themidos Peni-  
tralia hæcenus præbuisse. Id quod & in scholis no-  
stris animadverti: at non hoc solum, sed & istud, quod  
sicut nuda Institutionum Justinianæ recitatio sco-  
pum Imperatori præfixum, non obtinet: ita istæ sup-  
pletæ Institutiones augeant laborem Tyronum, id  
quod contra monitum Justiniani nostri, ne statim ab  
initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi mul-  
titudine ac varietate rerum oneremus, præsertim quum  
Justinianæ multum Juris veteris & abrogati retine-  
ant. Quod advertens Dion. Gothofredus, Epitomen  
Institutionibus Justinianæis subjecit. Verum quum ille  
solis istis inhaerit, adeoque totius legitimæ scientiæ  
Elementa hæc ad fori usum exhibuerit: igitur id  
potissimum hæc intendi, & vos quoque ex parte deside-  
rare observavi, ut non solius Juris Romani, & in mul-  
tis non recepti, sed imò totius privati Juris pruden-  
tiæ prima Elementa ac quasi medullam Juris quo-  
utimur, sive ex Justiniano sive ex moribus, sive ex con-  
stitutionibus hodiernis, exhiberemus, ad ductum tamen  
Institutionum Justinianæarum. Exoptans, ut Tyroni-  
bus nostri Juris solido sint fundamento. Valete & rem  
bene gerite. Dab. Argentorati Kal. Martij M. DC. XCVI.



# ELEMENTA

## *Juris Civilis.*

### §. I.



INIS Jurisprudentiæ, *Lib. I.*

Justitia, est constans & *Tit. I.*

perpetua voluntas, jus  
suum cuique tribuendi.

*Jus sive Jurisprudencia*

ipsa est Divinarum & humanarum  
rerum notitia, justis atque injustis sci-  
entia. Juris vocabulum tum pro le-  
gum codice aut scientia etiam, Noti-  
tia juris, tum pro habitu pratico ju-  
ris exercendi: prudentia juris sumitur.  
Hæc primo levi & simplici *Via edocenda*  
*est*, post diligentissima interpretatione  
singula tradantur. *Juris præcepta* com-  
munia sunt honeste vivere, alterum  
non lædere, suum cuique tribuere :  
species juris duæ sunt, *Publicum* quod  
ad statum & utilitatem reipublicæ  
spectat, *privatum*, quod ad singularum  
utilitatem: collectum est ex naturali-  
bus præceptis gentium & civilibus.

A

§. II.

## § II.

Tit. 2.

Jus civile est, quod quisque populus ipse sibi constituit, quasi jus proprium suæ civitatis §. 1. 9. de J. N. G. & Civili. Sed quia collectum est ex naturalibus præceptis gentium, aut civilibus. §. fin. J. de J. & J. Itaque quodlibet jus civile duabus constat partibus communi & propria. Et hinc duæ species Juris Civilis oriuntur nempe Jus Civile proprium & commune. Porro commune est vel tantum provinciis & statibus subjectis aut incorporatis & confociatis & confœderatis ex consensu; & hoc dicitur proprie Jus commune, Landrecht / velut Alemannicum & Saxonicum, quorum hoc commune est populis Saxoniam magnam, illud populis alterius Vicariatus, Alemannici, & Francici, eoque pertinent recessus & ordinationes Imperij; aliud est commune regnis, rebus publicis independentibus citra consensum. Idque non amplius obtinet nomen & essentiam juris strictè dicti civilis, sed est tantum pars quædam integralis, eaque communis Juris civilis collecti ex communibus præceptis, ad mores tamen populi & statum cujusq; Reipublicæ



## JURIS CIVILIS.

blicæ temperatis, adjiciendo vel demendo: veluti adjectis solennitatibus civilibus essentialibus, aut detracta causa & actione civili, ut in pacto nudo, testamentis imperfectis &c. Hoc Jus commune est gentibus vel ex toto, vel parte. Ex parte est aliquot tantum gentibus commune, veluti orientalibus, occidentalibus, Europæis, Africanis, & similiter, itemque vel veteribus, vel hodiernis, veluti Jus Feudorum, Jus servitutis abrogatæ, &c. & vocatur jus gentium Particulare, differens à jure civili communi, quod commune sit non tantum provinciis subjectis & confociatis civiliter, sed etiam aliis independentibus, & sine consensu, sed ex communi inclinatione & conventionem morum & status cujusvis Reipubl. veluti Gothorum, Francorum, Alamannorum, Longobardorum, Saxonum, mores & Respubl. à se independentes in re militari generatim inter se conveniebant, & Respublicam militarem quilibet populus intendebat, unde jus Feudorum & servitorum militarium enatum, & in ejusdem generis formam Reipublicæ Turcicæ quoque inductum. Hinc regula: Quodcunque non est jus uni-

## ELEMENTA

us vel plurium civitatum sibi subje-  
ctarum proprium, sed commune plu-  
ribus ac diversis à sese invicem non  
dependentibus, illud est juris gentium  
particularis,

II. *Ex toto* sive toti gentium societa-  
ti, & dicitur Jus gentium universale :  
quod porro vel à Deo naturæ humanæ  
inditum & concreatum est, vocatur  
Jus naturale, & Jus gentium primæ-  
vum : vel quod gentes humanæ usu  
exigente & humanis necessitatibus sibi  
*constituerunt*, ut jura belli, captivitatis  
& appellatur jus gentium secundari-  
um, voluntarium, vel positivum, de  
quo §. I. de J. N. G. Qua dere subje-  
cta Tabella \*

Jus

Proprium cuiusvis reipublicæ & dicitur Jus Civile, aut pars Juris Civilis Propria.

*Ius est duplex*

Provinciis ex consensu expresso { uni reipublicæ subjectis, } & dicitur Jus commune aut pars Juris Civilis communis.  
Incorporatis  
Confederatis

Pluribus { Veteribus } dicitur Jus gentium particulare.  
& vel { hodiernis }

Commune  
idque vel

regnis aut rebusp.  
diversis & à se inde-  
pendentibus, iisq; vel

omnibus &  
quidem ex statu  
naturæ vel

corruptæ: Jus gentium secundarium positivum

Primigeniæ, Jus gentium primævum aut natur

## E L E M E N T A

Scripti Juris Romani species sunt Lex, plebiscitum, S. consultum, constitutio Principis. Privilegium Principis, edictum Prætoris: Responsa prudentum promulgata. Non scriptum Jus: Responsa prudentum non promulgata in vim legis: observantia: & consuetudo, hæc per actuum frequentiam & tempus præscriptionis introducitur. In foro Germanico utimur i. Jure proprio statuario aut Provinciali, ut Argentorateni, Württembergico Solmensi, Saxonico &c. Secundo jure Romano post tempora Lotharii post recepto, tertio Jure Canonico, & denique Jure Feudali. Atque hinc patet intellectus constitutionis veteris Arg. de Anno 1270. Der Rath der enrichtee nicht nach deme Landrecht wen nunwen nach der Wahrheit / und der Städte Recht / die hie geschriben sennd / v. J. Alemann. Provin. c. 6. 6. §. fin.

Tit. 4. 5.  
6. 7.

§. III.

Jus seu Jurisprudentia versatur vel circa Personas, vel circa res, vel circa modum & processum agendi & persequendi Jus suum. Juris natura patet ex subjecta Tabella. \*\*

Qua.

Naturalis

Moralis

Impotentia, ne-  
cessitas, obligatio.

Mentione faciendi,  
officium,

Circa Res.

Ad rem à debitore  
præstandam, ob-  
ligatio persona-  
lis.

Singulari.

Inde

Aliena.


Hereditas.  
Alode.

Servitus, Pignus, Pos-  
sessio. L. 3. § 12. π.  
ad Exhib.  
L. 66. §. 6. de leg. 2.

Not. Vox Doli & singulari quate-  
nus Dominus res singularis, jure  
sc. Domini L. 54. de A. R. D. l. 48.  
pr. π. de heri. ergo jus heredis est  
species Doli & singularis admittatur.  
Secundo de hereditati. L. 1. pr. π.  
de R. V.

\* \*

# Qualitas



Hereditas.  
Alode.


B. P.

Legitima, Dos, Péculium, Territor,  
Gerada, statutaria, Feudum.

Servitus, Pignus, Pos-  
sessio. L. 3. § 12. π.  
ad Exhib.  
L. 66. §. 6. de leg. 2.

Not. Vox Domini dupliciter accipitur: *Latius* pro jure in re universali & singulari quatenus Dominium dotis, peculij, hæreditatis dicitur, & acquiritur ut res singularis, jure sc. Domini. §. *fin* J. *per quas persona cuiq;* acqu. §. 2. & 7. *de hered. qual* L. 54. *de A. R. D.* l. 48. *pr. π. de heri Inst.* Atque heres hereditatem pro suo & proprio habet, ergo jus heredis est species Domini per se. Per accidens fit, ut jus crediti, depositi, pignoris admitteatur. Secundo *strictè*, pro jure in re singulari propria. Ita opponitur hereditati. L. 1. *pr. π. de R. V.*





p  
terv  
acc  
2. r  
nes  
em  
tan  
crea  
nis  
mu  
Te  
f. d  
und  
eni  
qua  
f.  
&  
& c  
h. e  
fi &  
tis  
Pri  
tio  
vel  
pat  
&





## §. IV.

Personæ i. vel homines liberi sunt vel servi, qui quicquid acquirunt, domino acquirunt. Liberi i. vel ingenui, vel 2. manumissi, sive libertini, vel 3. homines proprii, qui sibi acquirunt, sed jus emigrandi non habent, nisi manumittantur. Manumissio non fiat *in fraudem creditorum*, ab eo qui tempore alienationis solvendo amplius non est, & animum quoque fraudandi habet. Jure Teut. & Arg. vocatur *Außfluchtsal* *J. F. Alem. c. 107. J. Arg. c. 1. von Eigen und Erbe. Fallim. ord. cl. 2. §. 32.* saepe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines, §. 3. *J. Q. ex causis, II.* vel sui vel alieni Juris, & hi vel sub potestate P. vel sub tutela & curatela, sub PP. sunt liberi legitimi, h. e. i. ex legitimis nuptiis nati. 2. ex fictis per retrotractionem subsequen-  
tis matrimonii, aut per rescriptum Principis aut per adoptionem. Oblatio curiæ non recepta. Illegitimi sunt, vel ex concubina nati, naturales, vel ex patre incerto, spurii, vel ex adulterio & incestu.

Tit. 8. 9.

## §. V.

Nuptiæ J. N. & G. sunt viri & mulieris *Tit. 10. 11.*  
12.

lieris conjunctio solennis, individuum  
 omnis vitæ consortium Divini & hu-  
 mani juris communicationem conti-  
 nens. Eamque vel *equalem* vel *inaqua-*  
*lem* ratione dignitatis & successionis,  
 ut matrimonium ad Morganaticam.  
 Jure Civili justæ fiunt inter cives tan-  
 tum, exclusis servis & peregrinis: &  
 cum consensu parentum, atque in gra-  
 dibus non prohibitis. Non justæ sunt  
 contubernium, concubinatus, ince-  
 stus. Jure canonico etiam inter servos  
 & peregrinos matrimonium contra-  
 hitur.

Nuptiæ seu totius matrimonii con-  
 trahendi negotium, certis partibus  
 constat: Prima est mentio futurarum  
 nuptiarum, *Eheswerbung*/sequitur post  
 deliberationem maturam, repromis-  
 sio, desponsatio, sponsalia, *Zusage* *Ver-*  
*löbnuß*: eaque cum consensu Paren-  
 tum & Tutorum, alias clandestina &  
 invalida sunt: Jure Civ. Argent. &  
 Gallic. *Constit. Argent. de causa matrim.*  
 Deinde nuptiæ ipsæ per copulatio-  
 nem sacerdotalem, & denique con-  
 scensio Thalami, *Beylager*/ *Beschreis-*  
*tung des Ehe-Bettes*.

Gradus prohibiti sunt Jure Divi-  
 no & Civili, in lineâ recta in infini-  
 tum,

rum, in collateralis gradus æqualis, inter fratres & sorores : inæqualis inter fratrem & sororis filiam, neptemve. quatenus sibi invicem sunt loco Parentum h. e. quoties eorum alter imediatè subest comuni, stipiti. Jure canonico prohibitio se extendit usque ad Sobrinorum liberos, *Dritt. Geschwi- ster Kind / J. Argentoratensi usque ad consobrinos tantum, Ord. Eccl. Arg. P. 3. C. VI.* Inter affines eodem modo gradus affinitatis prohibentur, quia conjuges sunt una caro, sed tantum quoad genus 1. & 2. affinitatis.

Nuptiæ dissolvuntur vel plene, morte & divortio ex justis causis, vel quoad separationem à thoro & mensa duntaxat.

P. P. Solvitur morte: capitis diminutione, h. e. status libertatis, civitatis, & familiæ per adoptionem, mutatione: dignitate Episcopali & majori, Emancipatione, vel separatione habitationis & familiæ.

§. VI.

Personæ sui juris sunt *Minorenes* vel *Majorenes*. Isti vel in tutela, vel in curatione : in qua quidam etiam *Majorennium*. Tutela est potestas in caput liberum, ad tuendum eum, qui

*Tit. 13. 20.*

qui se defendere nequit, jure civili data & permiffa. Idque triplici modo, unde tres species tutelæ. *Testamentaria*, qua parentes per testamentum dant liberis fuis tutorem: *Legitima*, quæ per legem publicam, & ipfo jure proximis agnatis & cognatis tutores constituit, quibus tamen mater & avia, fi volunt tutelam subire, & Scro Vellejano renunciare, præferuntur: *Dativa*, qua Magistratus dat tutorem ei, qui neque per testamentum, neque per legem tutorem obtinet. Omnis autem generis tutores hodie debent à Magistratu confirmari, qui faltem jurisdictionem civilem, aut inferiorem habet.

## §. VII.

Tit. 21. 26.

Suscipitur tutela partim per declarationem nullaque excufatione interposita, partim per promiffionem quæ regulariter juramento fieri debet, sed & cum cautione vel expreffa, vel tacita.

Geritur tutela partim per interpositionem authoritatis, partim per administrationem.

*Authoritas* est facultas civilis qua tutor defectum judicii & voluntatis pupillaris fupplet, ut negotium valeat,  
tum

tum quoad acquisitionem pupillo,  
tum quoad ejus obligationem civili-  
lem.

Administratio circa res pupilli dis-  
ponendas occupatur, & constat im-  
primis inventarii confectione de re-  
bus pupilli. Deinde curâ œconomi-  
câ & tandem rationum redditione.

Ab administratione immunes sunt  
tutores honorarii, & rei notitiæ tan-  
tum dati, qui administrantibus adsi-  
stere obligantur. Finitur tutela. 1.  
*Pubertate* pupilli post annum XIV.  
pupillæ post XII. Moribus continua-  
ri solet cum curatela, usque ad mayo-  
rennitatem, quæ obtinetur jure com-  
muni XXV. Jure Argent. XX. anno.  
2. *Morte alterutrius*, vel naturaliv<sup>el</sup> civi-  
li, Capitis sive status diminutione, quæ  
triplex, maxima, qua libertas, media  
qua civitas, & minima qua familia  
amittitur. 3. Porro si *testamento datus*  
*sub conditione* vel *indiem*, conditione vel  
die existente finitur tutela. 4. *Remo-  
tione* ob fidem administrationis su-  
spectam. Denique 5. *excusatione* ob  
certas causas, veluti ob numerum li-  
berorum aut tutelarum, ob munus pu-  
blicum, ob morbum fonticum, ata-  
tem grandævam &c.

Obliga-

Obligatur tutor actione tutelæ & rationibus distrahendis. Vicissim pupillus tutori obligatur actione tutelæ contrariâ, ad indemnitatem.

## §. VIII.

Curatores sunt qui non tam personæ, quam rei administrationi præsunt. Constituuntur minorennibus usque ad *annum* XXV. Jure civili, jure Arg. ad annum XX. completum. J. Publ. ad *ann.* XVIII. Majorennibus quibusdam: furiosis, & mente captis: prodigis: surdis & mutis: & qui perpetuo morbo laborant, quo rebus suis præesse non possunt. Pupillis quandoque si Tutor non est idoneus, curator adjungitur, itemque si tutor ad tempus à tutela excusatur. Absentibus quoque, qui eorum bona administrant: Bonis item fugitivorum aut mortuorum debitorum, & denique mulieribus, jure consuetud. & Argentoratensi. Curator obligatur actione tutelæ utili: & vicissim minor, tutelæ contrariâ utili.

## §. IX.

Lib. II.

Tit. I.

Jus circa res est vel *in re*, vel *ad rem*,  
sive

sive obligatio personalis, *In re* est, quod rei inhaeret & cum ipsa transit contra possessorem tertium, per realem actionem. *Jus ad rem* sc. praestandam, contra personam tantum obligatam, competit per actionem personalem. *Jus in re* est potissimum triplex: Dominium, pignus & possessio vid. tamen supra Tabellam §. 3.

Dominium est jus habendi rem sibi propriam, eam liberè administrandi, eaque utendi, fruendi, eamque alienandi. Estque vel penes universitatem, vel penes singulos.

Penes universitatem vel Sacram, rerum quæ Divini juris dicuntur, & nullius esse dicuntur privati, ut res sacrae, bona Ecclesiastica, religiosæ res. Vel penes universitatem Civilem, quæ humani juris sunt, vel extra patrimonium & commercia singulorum, ut res communes & universitatis.

*Communes* res dicuntur, Mare, Aër, Flumina, Littora, Ripæ, Viæ publicæ, Sylvæ, quia usu sunt communia omnibus, eo tamen, quo Dominio Reipublicæ non fit præjudicium.

Universitatis sive communitatis etiam cujusque res sunt, Fora, Theatra, stadia, &c. singulis usu tantum com-

B

munia.

munia. Quædam nec usu communia sunt, ut res Camerales, Fisci, Ærarii Publici: bona coronæ, Domanii, Regalia, Feræ, &c.

Singulorum in patrimonio & commercio res sunt vel corporales, vel incorporales & jura. Acquiritur rerum Dominium vel jure gentium, vel jure civili.

Jure Gentium per Occupationem, Accessionem, & Traditionem,

§. X.

*Occupatio* est apprehensio vacuæ possessionis rei, quæ nullius est, animo sibi propriam habendi. Estque vel *Venatio*, quo pertinet & Aucupium & Piscatio: vel *Bellica occupatio*: vel Inventio gemmarum &c. in littoribus. Occupatio porro alia est *prima* & universitatis, quæ territorium aut provinciam cum omnibus ibi contentis occupat, usque dum singulis privata rerum Domina distribuuntur: Alia *secundaria* & singulorum, ex concessione universitatis aut Principis, eaque vel *generali*, ut jure Rom. Venatio, vel *speciali*, ut jure privilegii, investituræ, præscriptionis &c. unde regula: Feræ, pisces, volucres, spolia & prædæ, Gem-  
inæ



mæ & lapilli pretiosi in littoribus pertinent ad reipublicæ dominium, jure primæ & universalis occupationis: Qui vero dominium harum rerum præterdit, probare tenetur concessionem & titulum, nisi concessio sit notoria, ut *Jure Romano*.

## §. XI.

*Accessio* est modus, quo dominium rei alienæ vel *ἀδικοῦτε*, accessoriè acquiritur Domino rei principalis, ad evitandam (si res aliena accedit) communionem, quæ alias ipso jure obtineret; quod si porrò accedit res aliena, priori domino æstimatio debetur. Accedit aliquid vel natura, vel arte, vel casu. Natura, 1. *foetura* animalium nostrorum, 2. *Alluvio* sive incrementum latens, ripæ accedit, adeoque domino ripæ & fluminis, hoc est, summæ potestati, & ex ejus concessione demum singulis ripæ accolis. 3. *Coalitione* accedit etiam id, quod vi fluminis adjectum, si longiore tempore fundo nostro hæsit & radices egit. 4. *Insula* in mari vel flumine enata accedit dominio maris vel fluminis, adeoque summæ potestati, atque ex hujus concessione demum privatis

B. 2

acco-

accolis fluminum, ut jure Rom. §. *Alveus* à flumine derelictus, etsi naturaliter dominum non mutet, ex ejus tamen concessione accolis, ut accessio agrorum suorum, relinqui potest, quod jure Romano obtinet.

## §, XII.

§.25:

*Arte* quid accedit, & dominium totius acquiritur, quoties per factum & industriam hominis aliquid ejus rei operave accedit. Species sunt: specificatio, inædificatio, plantatio, satio, scriptura, pictura, perceptio fructuum. *Specificatio* est, qua aliena materia

i.  
Reg.

formæ ut prævalenti, ac speciei novæ accedit, & dominium materiæ acquiritur; etsi per texturam aut suturam

§.26.

Exc.1.

§.27:

fit, & id quod accedit pretiosius sit; ut purpura vesti intexta. Confusione tamen liquidorum aut liquefactorum, massa manet communis, quum separari materiæ non possint, nec species facta sit, uti quidem fit in mulso,

2:

quæ specificatio est. *Ferruminatio* quoque confusio quædam est, qua metalla ejusdem generis sine alterius materiæ interventu consolidantur. Sed

3:

*Applumbatura* est, qua per plumbum, vel aliam ligaturam metalla junguntur.

titur;

tur, & nec confusionem seu commu-  
 nionem facit, nec specificationem,  
 sed retinet quisque Dominus Domi-  
 nium, atque abruptum vindicari pot-  
 est. *Commixtio* est corporum solidorum, §. 4.28.  
 qua nova species non constitui-  
 tur, nec confusio fit, sed quisque reti-  
 net dominium & *actionem realem* pro  
 modo frumenti, & qualitate.

§. XIII.

*Inedificatio* est, qua materia aliena so- §. 29.30.  
 lo proprio accedit, aut materia pro-  
 pria alieno solo, bona fide, & acquiri-  
 tur dominium ædificii domino soli ut  
 rei principalis, sed retinetur domini-  
 um & vindicatio materiæ, si dirutum  
 sit ædificium. *Plantatio*, latioque ju- §. 31.32.  
 re Romano domino soli acquirit fru-  
 ctuum dominium, secus jure Germa-  
 nico, quo domino seminis & indu-  
 striæ. *Scriptura* cedit chartæ, & ac-  
 quiritur hujus Domino, contra in *pi-  
 ctura* obtinet. *Fructus* sunt accessio  
 fundi & acquiruntur fundi domino:  
 sed & quasi domino sive B. F. posses-  
 sori, quoties fundus vindicatur à vero  
 domino.

§. XIV.

*Accessio fortuita* est: *Theauri inven-*  
 B 3 *tio.*

tio. *Thesaurus* est vetus quædam pecuniæ depositio, cuius non extat memoria, ut jam pristinum dominum defodientem non habeat, & is & ejus hæredes ignorentur. Regula itaque est, ut *Thesaurus* veluti accessio sequatur dominum soli, qui eum invenit: quod si alius invenerit, dimidium inventori conceditur.

## §. XV.

*Traditio* est acquisitio domini, qua mediante possessione transfert dominus dominium in alium, qui domini capax est, ex titulo ad transferendum dominium habili, v. g. ex emptione venditione, donatione. Plane in emptione venditione singulare est, quod sola traditione dominium ab emptore non acquiratur, sed pretii quoque numeratione secuta, aut fide habita de pretio. *Traditio* 1. est vel *vera*, rerum corporalium, vel quasi *traditio* quæ in patientia & permissione exercendi juris alieni in re sua consistit. *Traditio* 2. vel *brevis manus est*, vel *longæ manus*. *Brevis manus* dicitur qua corporaliter traditio de manu in manum omittitur, & & res ex titulo ad transferendum dominium non habili, v. g. ex commo-  
dato,

dato, locato conducto &c. data, retinetur sub titulo ad transferendum dominium habili. e. g. ex emptione. Traditionis brevis manus species est  *pactum constituti possessorii*, quo creditor acquirit possessionem hypothecæ, dum debitor fatetur, se non suo amplius, sed creditoris nomine in possessione esse: Item venditor, quoties per pactum sibi reservat, ut in possessione rei venditæ sub alio & ad retinendum dominium inhabili titulo v. g. locatione conductione permaneat.  *Traditio longa manus* est, quæ non fit per insistentiæ corporalis modum, sed vel eminus per ostensionem rei per casum forte tunc non accessibilis: vel per symbolum rem repræsentans, ut per claves, per symbola investiturarum. Traditione etiam acquiritur incertis personis, ut  *jactu missilium*, item inventione rerum deperditarum, quæ pro relictis habitæ. Acquisiti domini persecutio in re corporali ab alio possessa, est  *Rei Vindicatio*. Item  *Publiciana* actio, quæ quasi domino, sive bonæ fidei possessori datur contra tertium.

## §. XVI.

*Res incorporales* sunt jura, eaque vel  
B 4 singu-

singularia, ut servitutes, vel universalia, ut hereditates. *Servitus* est jus in re aliena certum emolumentum capiendi. Et alia est realis, alia personalis. Realis est inter duo prædia vicina, quorum alterum alteri immediate commodum aliquod debet. Prædia sunt vel rustica vel urbana. Rustica sunt, quæ rei rusticæ, h. c. agriculturæ, aut rei pecuariæ, destinata: Urbana, quæ hominum inhabitationi, Rusticorum potissimum sunt: iter, actus, via, aquæ ductus, aquæ haustus, jus pascendi, calcis coquendæ, lapides cædendi, &c. Prædiorum urbanorum servitutes sunt, *oneris ferendi*, quæ onus ædificii alieni paries meus sustinere tenetur & ego parietem reficere. *Tigni immittendi*, *projiciendi* vel *proregendi*, ut *Meniana*, *suggrundia*, *Græfer* / *Uberhänge* / *Stillicidij* aut fluminis altius non tollendi, &c.

F. IV.

*Servitus personalis* est, quæ personæ prædium quid debet. Estque vel *ususfructus*, vel *usus* vel *habitatio*, vel *opera servorum*. *Ususfructus* est jus alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia, isque verus & proprius: alius est quasi ususfructus, in rebus, quæ usu consumuntur, quarum æstima-

æstimatio restituitur, cautione ob id præstita. Uterque finitur morte usufructuarii naturali vel civili: non usu per tempus longum: cessione: consolidatione: interitu rei. *Usus* est jus T. V. utendi re aliena duntaxat ad id, quantum personæ utentis & ejus familiæ sustentandæ necessarium est. *Habitatio* est jus utendi ædibus alienis, ita ut locare possit eas alteri.

Acquisiti domini in rebus incorporalibus persecutio fit per *Actionem confessoriam* & *negatoriam*, quarum illa asseritur jus in re aliena: hac negatur alteri hoc jus, & asseritur libertas vel immunitas rei suæ.

## §. XVII.

Hæc de modis acquirendi domini de jure Gentium: sequuntur modi juris civilis, qui originem suam quidem etiam juri Gentium debent, sed ob formam à jure civili adjectam magis dicuntur juris civilis. Acquiruntur per hos vel in genere res sive universæ sive singulæ, ut usucapio, donatio, Legatum, Fideicommissum: vel universæ speciatim, ut hereditas per successionem. *Usucapio* est acquisitio domini per continuationem possessionis T. VI.

B §

tionis

tionis justæ, temporis lege civili definiti. Dicitur etiam *præscriptio* hodie. *Possessio justa* est primo, quæ habet titulum ad transferendum dominium habilem, qualis est emptio, donatio, permutatio, &c. Deinde quæ bona fide constat. Bona fides est, qua quis credit, auctorem suum, à quo rem iusto titulo tenet, fuisse verum Dominum, aut jus transferendi domini habuisse. Tempus lege civili definitum variat, pro diversitate rerum præscriptibilium, h. e. quæ sunt in commercio, Excipiuntur itaque res sacræ, &c. res meræ facultatis, res furtivæ, vi raptæ &c. Regulariter res mobiles usucapiuntur triennio; Immobiles per præscriptionem *longi temporis*. h. e. inter præsentem decennio, inter absentes vicennio. *Longissimi temporis* præscriptio dicitur *XXX. Annorum*, qua actiones regulariter præscribuntur, exceptis quibusdam, ut hypothecaria contra tertium, actione finium regundorum &c. quæ tamen ipsæ *XL. annis* etiam præscriptione amittuntur. At *Actiones criminales XX. Annis* præscribuntur. Denique tempore immemoriali, h. e. centum annorum, omnia præscribuntur, quæ sunt in commercio

cio



cio. Præscriptio *suspenditur*, & non currit adversus ætatem pupillarem: nec inter Patrem & Filium, nec inter conjuges, nec tempore belli ac pestis. *Interrumpitur* præscriptio usurpatione possessionis, citatione, pignoratione.

## §. XVIII.

Donatio est, qua quidam donante T. VII. transfertur ad acceptantem donatarium, ex nulla præcedente obligatione speciali & determinante. Est vel *mera*, & propria, vel *remuneratoria* ex gratitudine orta, cujus species est *reciproca*. Deinde est vel directa & absoluta, vel conditionalis & modificata, qualis est donatio mortis causa, qua quid sub conditione & in eventum mortis insequentis donatur. Hæc participat, ex natura ultimæ voluntatis, adeoque revocabilis est. Donatio absoluta & pura dicitur *inter vivos*, quæ tunc valet, si ultra quingentos solidos judicialiter insinuatur. Hæc revocabilis non est regulariter, nisi ob ingratitude- nem, ob inofficiositatem inter parentes & liberos, ob supervenientiam liberorum, & ob non secutum implementum. Donationes *inter conjuges* sunt prohibitæ, nisi quæ *propter nuptias* fiunt,

fiunt, itemque dotis constitutio, in qua mulier retinet dominium naturale, vir acquirit dominium civile. Soluta autem matrimonio dos restituenda est mulieri aut heredi, nisi aliud pacto dotali provisum.

## §. XIX.

Hæc de modis domini acquirendi, amittitur dominium per alienationem. Alienandi facultatem regulariter habet dominus, nisi jure prohibeatur: veluti pupillus, minor, furiosus, demens, prodigus, mulier sine curatore, maritus quoad fundum dota-lem. Plane quandoque & non dominus habet jus alienandi, de quo versus memoriales Glossa habet:

Princeps, Augusta, Judex ac Officialis,

Tutor, Curator, Procurator, fluviusque,

Creditor, Exactor, Prælatus, Servus, habentur

Hi numero bis sex alienantes aliena-

T. IX.

Denique acquisitio alia est immediata, de qua antea, alia mediata, per personam intervenientem, eamque vel in potestate nostra constitutam, vel liberam & sui juris. Regulariter liberi

liberi in potestate patria, patri acquirunt etiam peculium profectitium; quod ex re patris quæsiverunt: excepto peculio castrensi & quasi castrensi; Adventitium peculium liberorum est quoad proprietatem, patris quoad usumfructum: præterea, quæ à Principe liberis donata, aut ab aliis sub hac conditione. Itemque si filius cum patre heres institutus; tunc liberi etiam usumfructum obtinent. Uxor regulariter ex re mariti acquisivisse intelligitur, adeoque marito. Per extraneam personam nihil acquiritur, excepto tutore, Procuratore, Negotiorum gestore, &c.

§. XX.

De legato & fideicommissio postea: *Tit. 10.*  
 sequitur acquisitio Universitatis per  
 luccessionem, quæ 1. vel ab intestato  
 defertur, vel testamento: neque enim  
 potest quis Jure Romano ex parte te-  
 status, & ex parte intestatus decedere:  
 2. Vel ex jure civili, vel ex jure præto-  
 rio: illa appellatur Hereditas, hæc  
 bonorum possessio. Testamentum est  
 declaratio justa voluntatis ultimæ de  
 successore in universum jus; quod  
 quis post mortem relinquit. Estque  
 vel

vel solenne, vel minus solenne: illud vel scriptum, vel nuncupativum. Solennitates scripti sunt. I. Scriptura, 2. subscriptio testatoris, 3. testium, 4. subsignatio. Testes debent esse idonei, ad hoc rogati, sique septem, & praesentes uno contextu rem expedire, audiendo, videndo & intelligendo testatorem. Nuncupativum iisdem solennitatibus gaudet, excepta scriptura, subscriptione, & subsignatione. Testamenta minus solennia sunt. I. *Testamentum militum*, quod ad solennitatem nullam restringitur, si in conflictu conditur; si in castris, duos testes requirit. II. *Rusticorum*, quod quinque testes, itemque quatuor. III. *Ad pias causas*, quod duos. IV. *Inter liberos solos*, subscriptio Patris & anni ac diei adjectio, vel in nuncupativo duo testes requiruntur, V. *Pestis tempore*, duo vel tres testes: denique VI. *judiciale*, quod iudici insinuatur, nullas alias solennitates requirit. Testari possunt domini, nisi jure prohibentur, ut impuberes & alii, qui alienandi potestatem non habent: Item surdus, mutus, caecus, nisi hic octavum testem adhibeat. Heredes institui possunt omnes, cum quibus est testamenti factio:

Tit. 12.

factio : ita tamen, ut liberos non negligat, sed aut instituat, aut ex causa  
 T. 14.  
 justa exheredet. Institui possunt vel  
 pure, vel sub conditione. Condicio  
 vel possibilis est, vel impossibilis, quæ  
 pro non adjecta habetur, ut & certi  
 temporis adjectio. Condicio nega-  
 T. 15.  
 tiva, sive de non faciendo, cautionem  
 Mutianam requirit. Institutio alia  
 est primi gradus, alia secundi & se-  
 quentium. Hæc vocatur *substitutio* :  
 estque vel vulgaris, vel pupillaris. *Vul-*  
*garis* id est communis vel regularis,  
 est, qua substituitur heredi alius in  
 eum eventum, si institutus heres non  
 erit, idque in genere, sive noluerit he-  
 reditatem adire, sive jure prohibeatur.  
 T. 16.  
*Pupillaris* est, quæ fit à patre liberis im-  
 puberibus in patria potestate tum  
 mortis, tum conditi testamenti tem-  
 pore constitutis, in eum casum, si he-  
 redes fuerint, & in pubertate decesse-  
 rint. De qua regula notanda, Pu-  
 pillaris etiam in vulgari tacitè conti-  
 netur, & vicissim vulgaris in pupilla-  
 ri. Pupillaris est vel vera, vel quasi  
 sive *exemplaris*, quâ, ad exemplum pu-  
 pillorum, etiam majorennibus, de-  
 mentibus, surdis, mutis, prodigis à  
 Parentibus substituitur. Cui simili-  
 lis

lis est codicillaris, quâ filio puberi  
 quis substituitur per codicillos jure  
 fidei commissi; ut post certum tem-  
 pus filius substituto hereditatem ut  
 fidei commissum restituat, detractâ  
 legitima & Trebellianica. Itemque  
*substitutio fideicommissaria*, qua etiam post  
 pubertatem substitutus capit heredi-  
 tatem tum jure fidei commissi, tum  
 jure substitutionis, ita ut hæres extra-  
 neus ab intestato ne quidem Trebel-  
 lianicam deducere possit. Infirmantur  
 testamta dupliciter vel ab ini-  
 tio; vel ex post facto. Ab initio;  
 quoties testator substantialia non ob-  
 servat, veluti si liberos nec instituit;  
 nec expresse ex causa justa exhereda-  
 vit: quod testamentum vocatur *inju-  
 stum*. Ex post facto testamentum in-  
 firmatur vel ipso jure, vel officio judi-  
 cis rescindentis. Ipso jure infirma-  
 tur propter vitium superveniens vel  
 internum; quo *rumpi* dicitur testa-  
 mentum, ut est agnatio sui heredis  
 posthumi, in testamento præteriti,  
 itemque testamentum posterius, aut  
 cancellatio prioris, neque enim sola  
 revocatione rumpitur: vel externum  
 vitium, quo testamentum *irritum* fie-  
 ri dicitur, ut si testator per capitis  
 dimi-

diminutionem amisit testamenti fa-  
ctionem, aut si heres repudiando de-  
stituit testamentum. Officio judicis T. 18.

rescinditur testamentum I. *Inofficiosum*,  
h. e. quod contra officium parentum  
& liberorum conditum, veluti si ex-  
hereditatio non ex causis ingrati-  
tudinis à Justiniano constitutis facta, aut  
legitima non tota, vel non titulo in-  
stitutionis honorabili relicta. Eo ta-  
men colore utuntur liberi in querela  
inofficiosi, quasi non sanæ mentis fue-  
rint parentes, quum testamentum  
conderent. *Legitima* est tertia pars  
hereditatis, si liberi sunt quatuor aut  
pauciores: sin plures, dimidia. In le-  
gitimam dos & donationes etiam im-  
putantur: & contra inofficiosas do-  
nationes & delationes etiam querela  
inofficiosa competit. Si legitima ti-  
tulo quidem institutionis, sed tantum  
ex parte relicta est, datur actio in sup-  
plementum. II. Officio judicis eripitur  
& in Fiscum redigitur quandoque he-  
reditas vel pars, iis heredibus institu-  
tis, ut *indignis*, qui contra legitimam  
defuncti voluntatem faciunt, ut si  
quis coheredum injuste testamentum  
impugnat, aut si coegerit testatorem,  
ut se instituat, si testatoris necem pro-

C

cura-

T. 19.

curaverit, aut non denunciaverit, ut vindicetur. Delata hereditas vel *aditur* vel repudiatur, id quod regulariter liberum est heredi, excepto herede suo & necessario, h. e. servo & filiofamilias, quorum posteriori tamen Prætor abstinendi dat facultatem. In hereditate adeunda requiritur testamenti factio in herede, tum tempore constituti testamenti, tum mortis testatoris, tum aditionis tempore. Ad adeundam vel repudiandam hereditatem spatium deliberandi à Prætorè conceditur. Aditione obligatur heres creditoribus hereditariis etiam ultra vires hereditatis, nisi cum beneficio inventarii adeat. Aditur & verbis & facto ipso, pro herede gestione. Jus adeundi transmittitur ad heredem. Si coheres repudiat suam partem, hoc accrescit coheredi adeunti, qui re & verbis conjunctus est. Adeunti datur hereditatis petitio contra tertium possidentem: missio in B. P. ex l. *fn. C. de Edict. D. Hadriani tollendo*; quoties nullum vitium visibile testamenti apparet, sed & apprehensio possessionis vacuæ.

§. XXI.

T. 20. 21.

22.

Testamenti partem constituunt legata.



gata. *Legatum* est collatio rei à defuncto verbis directis relictae, ab herede praestandae. Inter plures legatarios jus accrescendi quoque locum habet. *Genere* legato, electio legatarii est. *Alimenta* legata etiam amictum, habitationem & medicamenta continent. *Annua* legata initio anni cujuscunque solvenda. *Mundo* legato, ornamenta non continentur. *Incertis personis* legari hodie potest, quum ex postfacto certae fiunt. *Falsa causa* legato adjecta non nocet: ut nec conditio *impossibilis*, nec modus *impossibilis*: Legatum, quando *ex die certo* relictum est, *redit* dies, antequam *venit*, h. e. currit dies & jus petendi statim à morte testatoris oritur, & ad heredem legatarii transmittitur, antequam dies & jus exigendi ac solutionis venit. *Conditio negativa*, de non faciendo, adjecta, cautionem Mutianam requirit. *Pœna* adjectio legatum non vitiat. Pro legato consequendo datur rei vindicatio, Hypothecaria *Actio*, & condictio. *Adimitur* legatum à testatore vel verbis, vel facto, vel translatione. *Lege Falcidia* succurritur heredi, ut quartam partem hereditatis, deducto prius ære alieno, salvam retineat,

neat, nisi testator expresse prohibuerit quartam detrahi.

§. XXII.

Tit. 23.  
seqq.

Hæc de successione testamentaria, quæ fit verbis directis, sive præceptivis: Altera est, quæ fit verbis precariis & indirectis, qua heres quidem instituitur, sed rogatur, ut tertio hereditatem restituat, detracta quarta ex SCto Trebelliano, quorum ille vocatur heres *fiduciarius*, hic *fideicommissarius*. Fideicommissum est vel expressum, vel tacitum, veluti per prohibitionem adjectam, ne extra familiam alienetur. Potest etiam fieri *ab intestato*, rogando, ut heres ab intestato restituat fideicommissario hereditatem: itemque per *conventionem*, & pacta familiæ. Fideicommissario tria competunt *remedia* contra fiduciarium heredem: Primo imploratio Judicis, ut fiduciarius adire & restituere compellatur: ut interim Inventarium conficiat, & cautionem de restituendo præstet. Deinde Actio testamentaria, vel etiam condictio ex conventionem ad restitutionem: itemque revocatoria ejus, quod alienatum est. Denique contra

ter-

tertium possidentem Fideicommissaria hereditatis peritio.

*Fideicommissum* est vel universale, de quo hactenus vel *singulare*, quo res singulæ ab herede vel legatario præstandæ fideicommissario relinquuntur. Hæc particularia fideicommissa *equiparata* sunt legatis quoad Actiones reales & personales. *Codicilli* sunt species ultimæ voluntatis, sine directâ heredis institutione, scriptæ vel nuncupatæ, adhibitis tamen quinque testibus, vel judicialiter factæ. Testamentis rite *exequendis* quandoque testatores certos Executores constituunt, qui confecto Inventario curare debent, ut quisque suum ex Testamento capiat, alienationem ex decreto faciant, & ad rationes his, quorum interest, tenentur.

### §. XXIII.

Successio ab intestato vel ex legibus civilibus defertur, vel ex edicto Prætoris: illa *hereditas* acquiritur, hac *Bonorum Possessio*. Successionis ab intestato tres sunt *ordines*: Primus est descendentium, alter ascendentium, tertius Collateralium. Hinc tres Regulæ,

Lib. III.

T. I. seqq.

C 5

gula,

gula, I. Descendentes legitimi, vel legitimi, itemque adoptivi, omnes alios excludunt à successione, ita ut nepotes parentum prædefunctorum personam repræsentent, & in stirpem, non in capita succedant. II. Illis non extantibus, Ascendentes succedunt descendentibus una cum horum fratribus & sororibus, aut horum liberis, jure repræsentationis. III. Nec his extantibus Collaterales tam agnati, quam cognati succedunt secundum graduum proximitatem, quorum primus est fratrum & sororum, & prædefunctorum liberi jure repræsentationis. Secundus est inter fratrum & sororum liberos, qui in capita succedunt. Tertius fratrum & sororum ex uno tantum latere. Quartus denique reliquorum collateralium, secundum proximitatis gradum, in infinitum. Gradus sunt distantiae personarum ex generatione ortæ. Tot enim sunt gradus, quot generationes, inter eos de quibus quæritur, numerantur. Jure Canonico in linea collateraliali una persona demitur. Coniux conjugii succedit in casu inopiæ. J. Civ. Denique his omnibus non extantibus Fiscus succedit.

Hæc

## §. XXIV.

Hæc de hereditate, jure civili quæ **T.X.**  
 defertur. Ex jure porro prætorio suc-  
 cessio quæ defertur, dicitur *bonorum pos-*  
*sessio*, quæ tamen in effectu & ipsa est he-  
 reditas jure N. & gentium, & hodierno.  
 Differentia tantum in eo consistit, quod  
 hereditas privatim adiri potest, Bo-  
 norum vero possessio à Magistratu  
 impetranda est. Ex illa competit he-  
 redi *hereditatis petitio* contra tertium  
 possessorem: ex hac, *possessoria* heredi-  
 tatis petitio contra eundem; itemque  
*interdictum Quorum bonorum*. In illa ti-  
 tulus, in hoc possessio duntaxat, pro-  
 banda est. Cognata species est *Petitio*  
*bonorum absentis* coheredis aut proximi  
 cognati, præstita cautione, rem absen-  
 tis salvam fore. Hereditas pluribus  
 relicta, *ipso iure divisa* dicitur ita ut alter  
 pro altero haud teneatur, etsi pro in-  
 diviso adhuc possident. Dividitur  
 porro vel inter volentes extrajudi-  
 cialiter, vel per viam actionis *familiæ*  
*erisunde*, quum nemo cogatur in com-  
 munionem permanere. Ad massam di-  
 videndam *conferri* debent, quæ vivis  
 parentibus liberi perceperunt, exce-  
 ptis bonis castrensibus & quasi: sum-  
 tibus studiorum: & bonis adventi-  
 tiis.

C 4

§. XXV.

## §. XXV.

**T.14.** Haecenus de prima specie juris in re, nempe de Dominio tum rerum singularum, tum universitatis. Sequeretur jam de reliquis duabus, Pignore & Possessione. Sed quum Pignus dupliciter accipiatur, vel pro jure in re, vel pro contractu pignoratitio, qui causa prioris est, itaque de utroque infra simul agitur. De possessione vero infra Tit. de interdictis.

**T.XIV.** Sequitur igitur de *Jure ad rem* & obligatione personali: quæ duo promiscue etsi sumantur, per se tamen differunt ut correlata duobus subjectis inhaerentia. *Jus ad rem* enim est facultas lege civili competens ad rem nobis debitam exigendam. *Obligatio* est necessitas jure competens ad rem alteri debitam præstandam. Rei vocabulo etiam factum & patientia continetur. *Debetur* porro aliquid vel ex fide & promissione, vel ex læsione. Promissum, ex quo obligatio oritur, est duplex: vel solius offerentis, ut *Votum* & *Pollicitatio*: vel oblatio cum acceptatione, quæ dicitur *conventio* sive *pactum*, h. e. duorum vel plurium justus consensus in idem placitum. *Pactum*



IV. Ex  
consensu.

rio Venditio, Locatio Conductio,  
&c. alii *Innominati*, qui certum nomen  
non habent, aut formam aliquam  
mixtam & dubiam, aut saltem gene-  
ralem aliquam ex quatuor juris gen-  
tium classibus conventionem: Do ut  
des, do ut facias, facio ut des, facio  
ut facias, veluti permutatio, *Æstima-  
tio*, *Assicuratio*, quarum proprium  
est facultas pœnitendi, re adhuc in-  
tegra, & pariunt *actiones præscriptis ver-  
bis* aut *in factum*. Denique consensus  
in conventionem alius est utrinque ex-  
pressus, alius tacitus ac præsumptus.  
Unde pactum aliud expressum, aliud  
tacitum est: & contractus alius *verus*,  
alius *quasi contractus*. Veri contractus  
vel solo consensu constant, & *Consen-  
suales* dicuntur: vel consensu solenni-  
bus verbis inter præsentem expresso,  
ut *stipulatio* sive *verborum obligatio*: vel  
*literis* expresso, ut *literarum obligatio*:  
vel denique rei ipsius datione, qui  
*Contractus Reales* appellantur, nempe

§. XXVI.

Tit. 15.

Mutuus, Commodatum, Deposi-  
tum, Pignus. *Mutuus* est, quo res fun-  
gibiles, quæ pondere, numero, & men-  
sura



fura constant, ita dantur, ut accipien-  
 tium fiant, & aliæ ejusdem bonitatis  
 & quantitatis restituantur. Exinde  
 datur condictio certi ex mutuo: & in  
 subsidium, condictio Triticaria, ad  
 æstimationem. *Usuræ* sunt particula  
 lucri ex sorte mutuò accepta à debi-  
 tore percepti vel percipiendi. Deben-  
 tur vel ex pacto expresso, vel ex mora,  
 Jure Romano Centesimæ, h. e. XII.  
 pro centum: hodie dimidio minoris.  
*Commodatum* est, quo res aliqua utenda  
 datur, ut ipsa æquè bona restituatur,  
 nullâ mercede interveniente. Ex quo  
 competit Actio directa commodan-  
 ti, commodatario autem Actio con-  
 traria ad damnum, interesse & impen-  
 sas: itemque jus retentionis. *Depo-  
 situm* est, quo is, apud quem res aliqua  
 deponitur, de ea re, quam gratis cu-  
 stodiendam accepit, restituenda tene-  
 tur, actione depositi, de dolo & culpa  
 lata. Si incendij &c. causa deposi-  
 tum fuerit, in duplum tenetur. De-  
 ponens obligatur ad damnum occa-  
 sione depositi contraria. Sed & jus  
 retentionis contra eum competit de-  
 positario. *Sequestrum* est depositum rei  
 etiam immobilis & universitatis, sed  
*litigiosæ*, ut lite finita restituatur victori  
 cum

io,  
 en  
 m  
 e-  
 n-  
 ut  
 io  
 a-  
 m  
 n-  
 er-  
 us  
 ex-  
 us.  
 ud  
 us,  
 us  
 en-  
 ni-  
 o,  
 vel  
 o:  
 qui  
 e  
 osi-  
 in-  
 en-  
 ura

cum omni causa ; actione sequestraria competente. Contraria sequestrari actione sequester repetit damna & impensas. *Pignus* est quo in securitatem debiti res datur *creditori*, ut is, debito soluto, rem cum omni causa restituat, *actione pignoratitia* directa, ad dolum & omnem culpam præstandam obligatus. Vicissim *debitor* obligatur ex hoc contractu, ut pignus minus idoneum melioretur, aut debitum ante terminum solutionis solvatur; item ad damna & impensas, quæ dolo vel culpa debitoris facta. Ex qua obligatione datur *creditori* contra *debitorem* actio *pignoratitia contraria*, vel *possidenti creditori* exceptio *pignoratitia* & *jus retentionis*. Præter contractum *pignoris*, qui datione reali conficitur, datur etiam *Hypotheca*, quæ pacto legitimo constituitur, hoc est non reali traditione, sed *promissione*, quæ civilem obligationem & *actionem Hypothecariam* parit contra debitorem, ut rem promissam etiam tradat; quæ & *quasi Serviana* appellatur actio. Denique tum ex contractu *pignoris dati*, tum ex pacto *pignoris promissi*, oritur *jus in re* data vel promissa inhaerens, contra possessorem rei hypothecatae tertium,

tertium, ita tamen, si debitor ipse prius excussus fuit, & non solvendo deprehensus.

## §. XXVII.

Verborum obligatio five *stipulatio* Tit. 16.  
est contractus de quolibet negotio inter presentes solennibus verbis interrogando & respondendo constans. Exinde competit actio ex stipulatu. Usu fori quoelibet *pactum* eandem vim obligandi, & agendi obtinet, etiam si inter absentes per epistolam vel procuratorem confectum. Stipulari aut pacisci possunt etiam *plures creditores*, qui dicuntur *Rei stipulandi*, quatenus sibi invicem obligantur ut rei, si quis eorum solidum nactus fuerit, ut reliquis pro rata teneatur, & quidem actione pro socio, vel communi dividundo, similiter & *plures debitores*, qui appellantur *Rei promittendi*, & jure novissimo gaudent *beneficio divisionis* contra creditorem, qui solidum exigit, ut pro rata tantum fiat executio: Excipe si alter reus promittendi est absens, aut non solvendo, tunc correus præsens, qui solvendo est, solidum solvere tenetur. Item si beneficio divisionis renunciatum est.

Stipu-

Tit. 19.

Stipulationes alia sunt conventionales, quæ ex libera partium conventionne oriuntur: alia sunt judiciales, quæ à mero iudicis officio & jussu proficiuntur, quæ *cautiones* vocantur, ut iudicio sisti, iudicatum solvi, damni infecti &c. Hæ Romanis vel Prætoria sunt, quæ jussu prætoris vel magistratus fiebant; vel judiciales, quæ à iudicibus Pedaneis. Hodie omnes promiscue dicuntur judiciales, à iudicis cujuscunque officio: & fiunt etiam citra stipulationem, atque tripliciter potissimum vel datis fidejussoribus, quæ *satisfactio* vocatur: vel per pignus aut Hypothecam: vel per juramentum: vel etiam per nudam repromissionem. Conditio impossibilis adjecta irritam facit stipulationem, secus in ultimis voluntatibus. Error in re itidem nullam reddit stipulationem. Conditio possibilis adjecta transmittitur ad heredem, secus atque in ultimis voluntatibus. Alteri stipulari non licet, nisi sua intersit. Qui certo tempore stipulatur, non petere potest, nisi toto tempore elapso. Qui simpliciter stipulatur, non continuo agere potest, sed tantum spatium præterire debet, quo traditio fieri possit. Stipulationis

Tit. 20.

lationis species est *Fidejussio*, vel inter- *Tit. 21.*  
 cessio, quæ alii contractui principali  
 accedit, interveniente tertia persona,  
 qua in subsidium pro promissione ob-  
 ligatur. Quod si non in subsidium, sed  
 ut principalis obligatur, debitore  
 Principali ex obligatione dimisso, vo-  
 catur *Expromissio*. Citra stipulationem  
 si fiebat, intercessio, repetito consen-  
 su, *constitutum* dictum est, hodie etiam  
 inero pacto & simplici consensu obli-  
 gat. Mulier per *scutum Vellejanum* libe-  
 ratur à Fidejussione, nisi huic renun-  
 ciaverit. Pro marito intercedens tum  
 demum obligatur, si versio in rem  
 probata fuerit, aut jusjurandum ac-  
 cesserit. Fidejussoribus competit be-  
 neficium. I. *Divisionis*, si plures sint con-  
 fidejussores, ut singuli pro rata non  
 solidum solvant, nisi alteruter non sit  
 solvendo. II. *Ordinis* seu excussionis,  
 ut prius debitor principalis excutia-  
 tur, quam fidejussor. III. *Cedenda-  
 rum actionum*, quo creditor fidejussori  
 soluturo cedit actionem suam opimi-  
 orem contra debitorem principalem:  
 absque quo alias debitor fidejussori  
*mandati actione* tenetur, & catenus man-  
 datores & fidejussores in effectu æ-  
 quipollent. *Literarum obligatio* sive Chi- *Tit. 22.*  
 rogra-

rographum aut contractus Chirographarius, dupliciter fit, aut ut essentia & *validitas, in scriptura* consistat, quod lege vel ex peculiari conventionem oritur, aut duntaxat ad confirmandum & *probandum* contractum Principalem, v. g. Mutuum &c. Ex tali scripta confessione debitoris oritur obligatio & actio creditori: vicissim debitori *Exceptio non numerata pecunia* competit: Cujus exceptionis *probatio* non alleganti debitori, sed creditori petenti imposita est *intra biennium*: post biennium quidem admittitur, sed debitori deinde incumbit probatio. Ad literarum obligationes pertinet & *Cambij* contractus, *Wechsel-Brieff* / quo quis pecuniam recipit & alio loco solvi literis mercatoris promittit.

## §. XXVIII.

Tit. 23. seq.

Contractus consensuales sunt Emptio-Venditio, Locatio-Conductio, Emphyteusis, Societas, Mandatum.

*Emptio-Venditio* est, qua solo consensu quibuscunque verbis declarato, de re, quæ in commercio est, certo pretio habenda convenitur. Ex qua Emptori datur actio empti ad rem tradendam: Venditori actio Venditi ad pretium

pretium solvendum. Perfecta licet emptione, *dominium* rei venditæ non transit ad emptorem, nisi per traditionem & pretii solutionem, aut fidem habitam: nihilominus tamen *periculum* rei ad emptorem pertinet, ob moram, quod pretio soluto rem sibi tradi non fecerit. *Addictio in diem* est pactum adjectum, ut venditor rem revocet, si intra certum tempus optimior emptor repertus. *Lex commissoria* est pactum, quo emptionis contractus ipso jure tollitur, si pretium præfinito die non solvatur. *Retrovenditio* est pactum, quo venditor oblato pretio rem repetere potest actione venditi tempore constituto. *Jus retractus*, aut *protimiseos* h. e. prærogativa in emendo, per pactum adjectum venditori acquiritur intra certum tempus. Quod jus protimiseos Conventionale vocatur: quum alias etiam lege competat, ut domino feudi aut emphyteuseos, convicanis, domino partis rei venditæ, quod *jus congrui* dicitur, proximo cognato, quod *jus retractus gentilitii* vocatur. Ex Edicto Ædilitio datur de rebus venalibus vitiosis venditis emptori *actio redhibitoria*, intra sex menses, postea *actio quanto minoris*.

D

§. XXIX.

## §. XXIX.

Tit. 25.

*Locatio conductio* est, quo usus rei aut operæ pro certa mercede ad tempus certum conceditur, quæ *merces* regulariter in pecunia consistit, potest tamen ex pacto etiam in fructibus consistere, ut in contractu Firmæ, & in colono partiario. Transmittitur jus & obligatio ex contractu hoc ad heredes. Locatori competit *actio locati* adversus conductorem, ut omnia secundum naturam & legem conductionis facere debeat, præstanda quoque culpa levissima. Conductori datur *actio conducti*, ut re aut opera locata frui liceat.

*Emphyteusis* est contractus consensualis, quo dominium utile in perpetuum in emphyteutam transfertur à Domino, retento dominio directo, jure Laudemii atque Canonis, cum facultate expellendi, si per triennium canon non solutus. *Census* sive contractus censiticus cum emphyteutico convenit, excepto jure expellendi. *Actio Emphyteuticaria* datur emphyteutæ contra dominum, ne turbet eum in fruitione domini utilis.

Tit. 26.

*Societas* est, quo de re aut opera in  
com-



commune conferenda & omni utilitate exinde communicanda, & consequenter de damno, convenitur. Obligantur socii sibi invicem *actione pro socio*, ad inventarii confectionem, lucri partitionem juxta proportionem Geometricam, doli, culpæ etiam levis præstationem, salvo beneficio competentia, ut non in solidum, sed in quantum facere potest, socius socio condemnetur. Solvitur societas renuntiatione: morte unius: cessione bonorum, &c. Finita societate *Actio communi dividundo* ad communium rerum divisionem competit.

*Mandatum* est, quo alteri negotium committitur ac ab eo suscipitur, nulla mercede interveniente. Est vel simplex, vel mixtum ex alio contractu, vel pacto adjecto, ut de re tradenda & custodienda: de Salario & Sportulis, quo pertinent Institores, magistri navium, proxenetæ. Simplex est vel generale vel speciale: & vel *cum libera*, vel *sine libera*, sc. administrandi & alienandi facultate: vel cum facultate substituendi, vel sine ea. Obligatur mandatarius vel procurator ad exequendum mandatum modo præscripto, præstat dolum & omnem culpam;

actione mandati directa. Mandans  
actione mandati contraria ad indem-  
nitatem. Finitur Morte, revocatio-  
ne, renunciatione, mutuo consensu.

§. XXX.

*Quasi contractus* est conventio tacitò  
& à lege præsumptò consensu con-  
stans, qua obligatio ex facto aliquo  
juris præsumptione inducitur. Quales  
sunt negotium gestum: Tutela: Com-  
munio: Hereditas communis: Adi-  
tio heredis: Indebiti solutio: datio  
vel acceptio sine causa: Receptum:  
litis contestatio: jactus Marinus.

*Negotium gestum* est, quo quis alterius  
ignorantis negotia gerenda sine man-  
dato suscipit. Obligatur gestor ad  
dolum & omnem culpam, actione  
directa negotii gesti, cui dominus vi-  
cissim obligatur ad indemnitatem a-  
ctione N. G. contraria.

*Communio* dicitur rerum singula-  
rium, ut inter collegatarios, vicinos  
quoad fines, ex qua oritur commu-  
ni dividundo judicium: finium re-  
gundorum.

*Hereditas communis* coheredum, pa-  
rit actionem familiae erciscundæ.

*Aditione hereditatis* heres tacite obli-  
gatur

gatur legatariis, actione ex testamento.

*Indebite & ex errore solutum repetitur condictione indebiti.*

Quicquid alterius apud alterum sine causa est, *condictione sine causa* repeti potest.

De *recepto* tenentur cauponæ, aurigæ. &c. ad restitutionem rei receptæ cum omni causa, cujuscunque culpa damnum datum fuerit.

*Litis contestatio* est tacita conventio de judicato solvendo, unde actio judicati.

*Factus Marinus* ex L. Rhodia, obligat convectores ad reparandum damnum ei, cujus merces navis levandæ causa projectæ sunt.

### §. XXXI.

Acquiritur jus ad rem & actio per- *Tit. 29.*  
sonalis non solum per nosmet ipsos, sed etiam per hos, qui sunt in nostra potestate, etiam per uxorem, per procuratorem, negotiorum gestorem.

Obligatio vero invito & ignoranti non acquiritur: nemo enim ex facto alieno obligatur, sed ex proprio.

Itaque filiusfam. patrem regulariter non obligat nisi peculio tenus, aut ex in rem verso, aut ex jussu patris.

D 3

Per.

Persona libera obligat alterum ex  
ejus facto prævio, ut præponentem  
præpositus rei nauticæ seu magister  
navis, qui etiam exercitor improprie  
vocatur, terrestri negotiationi, Insti-  
tor, uxor maritum, si sciente eo merca-  
turam administrat. &c.

III. 30. Tollitur obligatio personalis ipso  
jure, per *solutionem* debiti realem: per  
fictam, qua creditor confitetur se de-  
bitum acceptum habere, quæ *accepti-  
latio* dicitur: cui æqualis hodie est Re-  
nuntiatio, pactum de non petendo,  
apocha. Per *compensationem*, sive so-  
lutionem mutuam brevi manu fa-  
ctam, circa debitum utrinque liqui-  
dum. Per *Novationem*, quæ est trans-  
latio obligationis prioris in aliam in-  
ter easdem personas.

Per *Delegationem*, quoties nova per-  
sona creditoris aut debitoris, pacif-  
centium consensu, intervenit. Per  
*cessionem*, qua creditor alteri actionem  
cedit, nec opus hic debitoris con-  
sensu.

Per *oblationem* & depositionem ju-  
dicialem debiti. Per *mutuum* dissol-  
vendi *consensum*. Per *confusionem* qua  
jus creditoris & obligatio debitoris  
in unam personam concurrunt. De-  
nique

nique *interitu* rei ac *speciei debitæ* sine culpa debitoris.

§. XXX.

Haftenus de jure ad rem (vid. §. *Lib. IV.* 23.) præstandam ex obligatione promissionis ac fidei. Sequitur ut videamus de altera ejus specie ex obligatione læsionis ac maleficiis orta. T. I.

Læsiō porro fit ex prohæresi & animo nocendi, quæ *dolum malum* continet, & *delicta vera* & proprie dicta constituit: vel ex impetu imprudenti, negligentia aut ignorantia injusta, quæ *culpam* continet & *delicta vel quasi* constituit. Læsiō denique ex casu fortuito sine culpa facta, non obligat.

Obligatio ex delicto primo continet *restitutionem* & reparationem ejus, quod per delictum abest: deinde pœnam sive interesse privatum, veluti pœnam dupli, quadrupli, aut quantum per conventionem contrahentium constituitur. Denique pœnam publicam ob legis publicæ transgressionem & contemptum. Hinc *delicta* vel sunt *privata*, vel *publica*, itemque *pœna*. De publicis delictis sive criminibus eorumque pœnis in titulo ultimo. Privata vero delicta sua natura

possunt etiam esse publica, veluti furtum, rapina &c. Sed *privata* dicuntur. quatenus tantum interesse privatum læsus persequitur: *publica*, quoties magistratus etiam pœnam publicam infligit. Privata delicta sunt furtum, rapina, damnum injuria datum, Injuria. *Furtum* est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve: veluti si commodatarius re commodata aliter, quam dominum velle intelligit, utitur; si creditori pignus debitor surripit. Furtum est vel manifestum, vel nec manifestum. *Manifestum*, quo fur in ipso furto deprehenditur, aut adhuc in eo loco, quo furtum facit, aut fugiens visus ac prosequendo deprehensus fuerit, antequam rem furtivam eò, quo destinavit, pertulit. *Nec manifestum* est, si postea deprehenditur.

Ex furto competunt actiones triplicis generis: *Reivindicatio*, contra quemvis possessorem, nec refuso pretio. *Condictio furtiva*, contra furem & ejus heredem ad rem restituendam, etsi non possideat. *Actio furti*, contra furem duntaxat & complices, quorum ope & consilio furtum factum, ad pœnam, & quidem dupli, in nec  
mani-

manifesto : quadrupli in manifesto, Et competit ei, cujuscunque interest, rem salvam esse, licet Dominus non sit, ut creditori, conductori, commodatario.

*Rapina* est delictum, quo quis vi rem alienam rapit. Ex quo civilis actio, *vi bonorum raptorum* competit intra annum in quadruplum, in quo tamen inest rei ipsius persecutio; post annum in simplum. Si quis rem quam ait suam esse, per vim alteri auferit, dominio cadit per constitutiones Imp. si aliena est, sed suum esse credidit, in duplum tenetur.

T. 2.

*Damnum injuria datum* & dolo, & sola culpa fieri potest, & quidem vel circa corpus læsi, vel circa bona. Persequitur læsus hæc damna per *actionem ex lege Aquilia* cujus tria capita sunt: ex primo actio datur contra eum, qui servum aut pecudem alterius occidit, si-ve dolo, si-ve culpa, aut imperitia tantum, ad hoc, *quanti id in eo anno plurimè fuerit*: & eatenus pœnalis est, nec ad heredem transit: sed & præterea omne lucrum interceptum restituendum est. Denique & criminaliter ex tali homicidio agi poterit. *Secundum legis caput* in usu esse desit. Ex *tertio*

Tit. 3.

D 5

capi-

capite actio datur de omni cætero damno sine vulneratione, ad hoc, quanti plurimum diebus triginta proximis res fuerit.

*Directa* actio datur contra hos, qui ut causa Physica & corpore suo damnum intulerunt: *utilis* contra eos, qui ut causa moralis & mediatè damnum dederunt. *In factum* actio, si quovis alio modo damnum illatum, veluti per misericordiam intempestivam, solventis servum alienum compeditum, ut fugeret.

*Usu fori* etiam rei tantum persecutoria actio ad solius damni æstimationem frequens est, quanti tempore dati damni res fuerit, una cum restitutione ejus, quod interest.

T.4.

*Injuria* specialiter dicta, est delictum, quo quis alterius famam aut dignitatem data opera lædit. Est vel realis vel verbalis aut scripta; & fit nobis & à nobis vel immediate, vel mediate, in nostris aut per nostros. Est denique vel atrox, vel levis. *Atror* æstimatur ex facti atrocitate, ex loco privilegiato, ex personæ dignitate, ex loco vulneris. *Civilis actio* ex hoc delicto oritur. 1. *Æstimatoria*, ad pœnam pecuniarium ab actore æstimatam



tam & à judice moderatam, læso dan-  
dam. 2. Uſu fori, ad palinodiam ſi-  
ve recantationem actio. 3. *Ex lege diffama-  
mari* ad perpetuum ſilentium, ſi diffama-  
tionem non probet. 4. Imploratio  
officii judicis ad ſatisfactionem arbi-  
trariam, deprecationem & pœnam. 5.  
Extra judicialis retorſio in continenti  
verbis paribus nec aliam injuriam  
viciffim continentibus facta.

Diffolvitur hujus delicti obligatio  
& actio. 1. Diſſimulatione & omiſſa  
ad animum revocatione. 2. Præſcri-  
ptione annua, 3. morte.

*Actio criminalis* etiam competit ex le-  
ge Cornelia de injuriis ex verberatio-  
ne & domo vi introita, ad pœnam  
pecuniariam aut relegationem, vel  
etiam corporis afflictivam.

*Libellus famoſus* eſt crimen publicum,  
quo crimen alteri impingitur ſive  
ſcriptura, ſive pictura, ſive cantilena,  
ſive ſculptura & capitale eſt J. R. Ex  
conſtitutione Carolina pœna talionis  
plectitur. Præſcribitur triginta annis.

### §. XXXIII.

Quaſi delicta privata, quæ ex culpa *Tit. 5.*  
tantum oriuntur ſine nocendi propo-  
ſito, recenſentur.

1. Ju-

1. *Judicis* per imperitiam perperam judicantis, ex quo obligatur actione in factum, ut *litem suam faciat*, h. e. id quod interest, læso solvat.

2. *Effusum*, quo habitator obligatur ad reparationem damni ex effusione de ædibus facta in duplum. Hodie etiam in simplum tantum agitur.

3. Idem est de *dejecto*. 4. *Nautæ*, *caupones*, *stabularii* &c. tenentur ad damnum ex facto suorum in duplum, ex facto conhospitalium in simplum.

5. Huc pertinet & actio noxalis, itemque si quadrupes pauperiem fecerit, de quibus infra. T. 8. & 9.

### §. XXXIV.

Tit. 6.  
De actionib. seu modo procedendi.

Ab initio (vid. §. III.) triplex objectum juris prudentiæ constitutum fuit, Jus circa personas, circa res, & circa actiones sive processum agendi & persequendi jus suum. De prioribus compendiosa hæc via absoluta est, sequitur posterior. Persecutio sui juris vel est extrajudicialis per amicabilem compositionem, *mediatoribus* aut *arbitratoribus* intervenientibus: vel judicialis, & aut extra ordinem coram *arbitris* ex compromisso & recepto electis per *laudum*, aut coram *judice ordinario*

dinario per sententiam deciditur. Amicabiliter lite composita oritur *Transactio*, quæ est conventio, qua in causa *dubia* reus aliquid dare, facere promittit, actor vero liti renunciat. Ex qua competit Actio in factum, & exceptio rei transactæ.

In persecutione judiciali considerandæ sunt personæ, quæ vel minus principales & accessoriæ, ut interveniens, Actuarius, Procurator, Advocatus, Apparitor, vel principales, Actor, Reus & Judex: Actor est, qui actionem in judicio instituit. Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. Omnium actionum summa divisio in duo genera deducitur in *Præjudiciales*, quæ jus persequuntur circa personas, & in eas, quæ jus circa res persequuntur: quæ porro aut *in rem* sunt, aut *in personam*, de quibus singulis supra in propriis sedibus suis dictum, II. Actionum divisio est, quod aliæ sunt *rei persecutoriæ*, aliæ *pœnales*, aliæ utrinque *mixtæ*.

Rei persecutoriæ sunt, quæ duntaxat rei debitæ restitutionem aut æstimationem persequuntur. Pœnales, quæ pœnam privatam sive interesse & lucrum interceptum: Mixtæ, quæ utrumque persequuntur, ut actio

vi bonorum raptorum. III. Divisio est confinis priori, qua actio est vel in simplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum, ulterius autem nulla actio jure Roman. extenditur. IV. Divisio est in actiones *bonæ fidei* & *stricti juris*, & *arbitrarias*. Regulariter omnes actiones sunt bonæ fidei, quia negotia & conventiones, ex quibus actiones oriuntur, regulariter bona fide constant, & ita interpretanda & dijudicanda veniunt secundum naturam cujusvis negotii. Interpretatio porro & dijudicatio horum contractuum bonæ fidei fieri potest de jure Romano dupliciter, aut ut ipsa petitio *principalis* in actione instituta & de natura negotii dijudicatio sit in *arbitrio judicis*, & *arbitraria* vocantur, veluti, ad exhibendum, restitutio in integrum, Publiciana, Hypothecaria &c. aut duntaxat de petitione *accessorii*, ut fructuum, damnorum, compensationes &c. quæ accessiones *bonæ fidei* appellantur, quales sunt pleræque regulariter. *Stricti juris* actiones sunt, quæ ex contractibus *stricti juris* de jure Romano comperunt, & in quibus potestas judicis restricta est ad expressa duntaxat, ut actio ex Mutuo, & stipulatu, V. Di-

V. Divisio est in actiones & conditiones *certi* vel *incerti*, ut *condictio certi* ex mutuo, vicissim *condictio triticaria*, de re incertæ æstimationis.

In *condictione certi* si *plus*, quam debetur, *petitur*, jure veteri *caussa* cadebat. Plus *petitur* quatuor modis: *Re* sive *quantitate*, *Tempore*, si ante diem vel *conditionem*: *Loco*, si alio, quam quo *promissa* est *solutio*: *Caussa*, si *electio* reo *competens* *adimitur*, ut si *alternæ* quis *obligatus* est, rem aut *pretium* dare, & actor *unum præcise* *petit*. *Juris veteris rigor* hodie non *observatur*, sed plus *petens* *adinteresse* & *expensas* *condemnatur*.

VI. Divisio est actionum in *solidum*, & earum, *in quantum quis facere* *potest*. Regulariter quidem omnes actiones dantur in *solidum* *solvendum*, quod quilibet *debet*, sed *excipiuntur* quædam *negotia*, *conventiones*, & *actiones*, in quibus *reus* non *teneretur* in *solidum*, sed *verbi gratia* *paterfamilias*, ex *contractu* *filiifam.* qui *peculium* *habet*, *quatenus in peculio* *est*. Similiter *maritus* *actione* *de dote* *repetenda* *quatenus facere* *potest*. Sic & *Socius* *socio*, & *donator* *donatario* *duntaxat* *tentur*. Denique *cedens bonis* *de præsen-*  
ti non

ti non amplius tenetur, quam in bonis est, sed si ad opimio rem fortunam pervenerit, ex integro tenetur, in id tamen, quod facere potest, si nondum solidum solvere valet.

*Tit. 7.*

VII, Divisio est actionum ex facto proprio, vel ex facto alieno: & hæc vel ex facto ejus, qui in potestate nostra est, vel negotiationi nostræ præpositus à nobis est, ut sunt actiones de peculio, tributoria, quod jussu, de in rem verso, exercitoria, institoria, quorum sedes supra est in Tit. 29. Lib. 3.

*Tit. 8.*

Huc etiam pertinent *actiones noxales*, quibus obligatur dominus, ex facto *servi* damnofo, servum retinens, nec noxæ dedere volens.

*Tit. 9.*

Similiter dominus *Bruti animalis* ex *pauperie* alteri ab hoc illata, si id noxæ non dat, actione de pauperie & damno restituendo.

*Tit. 10.*

In actione instituenda actor vel ipse agit & comparet in judicio, vel per *procuratorem*, aut tutorem, curatorem, aut Syndicum, si universitas agit: Idem est de reo regulariter. Hi qui alieno nomine agunt, *legitimare* se debent per mandata aut tutoria, curatoria, syndicatus instrumentum. Aut de *rato cavere* sub hypotheca bonorum, si defe-

*Tit. 11.*

si defectus est in mandato, aut est persona cognata actoris vel rei.

Quousque actio & jus persequendi, quod sibi debetur, duret, videntum est. Atque regulariter actiones tolluntur præscriptione decem annorum inter præsentem, & viginti inter absentes; reliqua triginta annis & denique quadraginta, ut supra Lib. 2, Tit. 6. Tit. 12.

Transmittitur actio & jus persequendi ad heredes regulariter, exceptis pœnalibus actionibus, nisi in his aliquid ad heredem pervenerit, aut lis contestata fuerit.

§. XXXV.

Reus est, contra quem actio instituitur, & qui exceptione se defendit. Tit. 13,

Exceptio alia est temporalis & dilatoria, quæ temporis dilationem tantum tribuit, & vel ipsam causam principalem afficit, ut exceptio Moratorii, pacti ne intra certum tempus petatur, &c. vel personam judicis incompetentis, suspecti &c. quæ *declinatoria* vocatur; vel adversam partem, ut exceptio Legitimationis, inepti libelli &c. Alia est perpetua & *peremptoria*, quæ in perpetuum perimit & elidit actionem;

E

nem;

nem ; quarum quædam *litis ingressum impediunt*, ut exceptio rei transactæ, rei judicatæ, jurisjurandi &c. & ante litis contestationem aut responsionem opponi possunt : quædam postea demum opponendæ, ut exceptio pacti de non petendo, doli mali, merus &c. quædam etiam post rem judicatam ipsam *executionem impediunt*, ut solutionis, compensationis, S<sup>C</sup>ti Vellejani, Macedoniani &c. quædam causam in pristinum statum restituunt, ut exceptio nullitatis & Restitutionis in integrum ex dolo, metu, minoris ætatis læsione, absentia justa, & clausula generali, *si qua alia justa causa judici videbitur*. Quæ exceptiones etiam per modum Actionis institui possunt.

**T. 14.** Exceptioni porro Actor opponit *Replicationem*, per quam jus & effectus exceptionis resolvitur, ut exceptioni de non petendo replicatio pacti subsequenti de petendo opponi potest. Vicissim replicationi actoris reus opponit *Duplicationem*, & huic Actor *Triplicationem*, atque huic porro reus *Quadruplicationem* atque *ulterius* secundum varietatem negotiorum.

Exceptiones in genere & regulariter non tantum debitoribus principalibus



palibus profunt, sed etiam fidejussori-  
bus & heredibus, nisi sint personales,  
quæ personam paciscentis non egre-  
diuntur,

## §. XXXVI.

Denique Actiones & Exceptiones *Tit. I §.*  
aliæ *petitoria*, quæ versantur circa jus  
& titulum, in processu petitorio, ve-  
luti de Dominio & pignore: aliæ *pos-  
sessoria*, quæ circa possessionem in pro-  
cessu possessorio versantur, & *interdi-  
cta*, vel Actiones ex interdicto com-  
petentes dicuntur.

Possessio est actus, quo quis rem  
corporalem, vel incorporalem, jure  
vel injuria apprehensam detinet, cor-  
pore insistentis & animo, vel animo  
tantum, sibi vel alteri habendi.

Possessio 1. est vel vera, qua quis  
rem corporalem possidet: vel quasi,  
qua incorporalem. 2. vel bonæ fidei,  
quæ jure apprehensa, vel malæ fidei,  
quæ non jure, injuriâ. 3. vel plena, na-  
turalis & civilis simul, qua quis cor-  
pore & animo rem possidet, vel civilis  
tantum, quæ apprehensa animo reti-  
neretur. 4. vel qualificata, h. e. for-  
malis, qua quis possidet animo sibi  
habendi: vel nuda & simplex, hoc est

materialis, qua quis alteri habendi animo rem tenet, & in possessione est. s. vel consideratur ut acquirenda, vel retinenda, vel recuperanda. Remedia acquirendæ, retinendæ, & recuperandæ dicuntur interdicta, h. e. mandata, aut inhibitiones, ex quibus deinde ad contradictionem partis adversæ Actiones competunt. Acquirendæ possessionis remedia sunt 1. Interdictum *Quorum bonorum*, quo bonorum possessor hereditatem ab eo, qui pro herede, vel pro possessore possidet, sibi restitui petit. 2. Interdictum *Salvianum*, quo possessionem rerum coloni in fundum conductum illatarum persequitur dominus. Quasi Salvianum omni creditori hypothecario competit. 3. Interdictum *Quod legatorum*, quo heres repetit possessionem legati aut donationis mortis causa, quod legatarius vel donatarius propria auctoritate in fraudem L. Falcidiæ occupaverat. Huc etiam facit. 4. Remedium ex L. *fin. C. de Edicto Hadriani tollendo*, quo heres scriptus in testamento, quod vitio visibili caret, missionem in possessionem impetrat, contra heredes ab intestato. 5. Apprehensio possessionis vacuæ privata

vata auctoritate competit heredi & successori vasallo : creditori ex conventionem.

Retinendæ possessionis interdicta sunt. 1. *Uti possidetis*, quo rerum immobilium possessio defenditur, quæ tempore litis cæptæ nec vi, nec clam, nec precario detinetur. 2. *Utrubi*, quo rerum mobilium. Possessio hæc dicitur *momentanea* & præsens, h. e. momento litis cæptæ quæ existit de præsentibus, & processus momentaneus aut summarissimus vocatur: cui opponitur possessio anterior vel antiqua, de qua in possessorio ordinario litigatur.

Præter hæc interdicta generalia, dantur etiam specialia, veluti de *superficie* quietè fruenda, de servitutibus. &c. Huc etiam facit *nuntiatio novi operis*, qua privatus prohibere potest, ne vicinus novum opus faciat, ex quo damnum ille metuit; quæ cautione tolli potest. Interdictum *quod vi aut clam* datur contra opus factum, vi aut clam in damnum alterius, ut destruat. Recuperandæ possessionis interdicta sunt. 1. *Unde vi*, quod datur vi de possessione dejecto contra dejicientem, ut possessionem restituat. 2. *Remedium ex cap. saepe X. de restitut. Spolia-*

torum, contra tertium etiam possessorem scientem. 3. Remedium ex *Canone redintegranda*. caus. 3. q. 1. contra quemvis possessorem etiam ignorantem vim factam esse. 4. Imploratio officii iudicis in aliis similibus casibus.

¶. 16.

Hæc de actore & reo litigantibus, ex quibus si quis temere, h. e. sine fundamento & alium vexandi causa, litigare arguitur, pœnæ temere litigantium subjicitur, quæ est vel pecuniaria pœna, vel infamiæ, vel juramentum calumniæ & malitiæ.

§. XXXVII.

¶. 17.

Sequitur de iudice, & ejus partim potestate, partim officio. Potestas est judiciaria sive jurisdictio, qua causa cognoscitur, sententia fertur, & executio peragitur.

*Notio* est duntaxat jus causam cognoscendi & sententiam ferendi, quæ Iudicis pedanei est.

Potestas judiciaria vel circa causas criminales versatur, & dicitur *Imperium merum*: vel circa causas civiles, & *Jurisdictio* in specie appellatur Romanis, h. e. potestas cognoscendi & judicandi causas civiles, jure magistratus competens, sine jure exequendi.

*Imperium*

*perium mixtum* est potestas in causis civilibus jubendi, coercendi, exequendi. Usu fori jurisdictio generatim est vel criminalis, vel civilis, superior aut inferior, alta vel bassa *Ober- oder Halsgerichte / Centgerichte*; & *Nieder- oder Erbgerichte / Vogtenlichkeit*.

Jurisdictio alia exercetur etiam in *invitos*, quæ *contentiosa* vocatur: alia inter volentes & consentientes, quæ *voluntaria* dicitur, ut confirmatio contractuum, insinuatio donationum, testamentorum, alienatio bonorum pupillarium.

Judex & ejus forum est vel *competens*, vel *incompetens*. *Forum competens* est, cujus jurisdictio contra rem de jure fundata est. Subjicitur reus foro alicui vel ut subditus aut habitans eo in loco, & *forum domicilii* vocatur, quod subdividitur in *domicilium originis* vel *habitationis* vel *bonorum*. *Forum rei sitæ* est, quo res, de qua quis convenitur actione ex illa re oriunda, extra forum domicilii sita est. *Forum contractus* est, quo quis conveniri potest extra forum domicilii in loco, ubi contraxit, aut solutionem promisit, si ibi deprehenditur. *Forum delicti*, ubi quis delinquens deprehenditur. Hæc

Hæc de Foro competente ordinario & communi, præter quod, datur etiam extraordinarium, singulare & privilegiatum. Itaque per *prorogationem jurisdictionis* sortitur quis forum alienum, & quidem vel *conventionem*, eaque vel expressa, qua reus in iudicem alias incompetentem in certa causa consentit; vel tacita, litem contestando, ommissa exceptione fori incompetentis. Vel *lege*, 1. per *Reconventionem*, qua actor coram rei iudice à reo vicissim convenitur, & utraque causa simul ventilatur. 2. Per *causam continentiam*, sive connexitatem aut cohærentiam, quoties plures rei diversis in locis habitantes ex eadem causa coram eodem iudice conveniuntur; aut una causa ab altera dependet.

Ex privilegio forum singulare sortitur ordo clericorum & Academicorum: milites: Principum ministri: Status Imperii ex privilegio Austregarum. Causæ Ecclesiasticæ Fiscales: Feudales &c.

Fori competentis dantur certi gradus, qui *Instantia* vocantur, quæ vel *prima* est coram iudice inferiore, vel *secunda* coram iudice superiore &c. Regulariter per gradus, non per saltus,  
Judi-

Judices debent adiri sibi subordina-  
ti, exceptis personis miserabilibus,  
quæ ex privilegio reos statim coram  
summo judicio possunt convenire:  
excepto quoque casu protractæ aut  
denegatæ justitiæ, aut judicis suspecti.

Judicis officium & obligatio ver-  
satur circa processum dirigendum. In  
processu considerantur tum materia-  
lia sive *merita cause*, tum formalia &  
ordo procedendi. Quoad ista, tene-  
tur judex non aliter judicare, quam  
secundum leges aut mores, quantum  
ad quæstionem juris; in facti quæstio-  
ne, secundum Acta & probata. Quo-  
ad formalia processus, dividitur offi-  
cium judicis in *nobile* & *mercenarium*.  
Nobile est, quo nulla instituta actio-  
ne ad nudam implorationem, aut  
etiam motu proprio, judex procedit.  
Mercenarium, quo actioni institutæ  
inservit. Partes processus substantia-  
les sunt, aliæ secus; substantiales: acto-  
ris petitio, judicis citatio, rei respon-  
sio & exceptio, probatio, sententia &  
executio, quibus constat *Processus sum-  
marius* & *executivus*; cui contradistin-  
guitur *Ordinarius* processus, in quo par-  
tes istæ solennitatibus certis constant,  
aliis quoque partibus accedentibus,  
ut

ut sunt libellus ordinarius, litis contestatio, cōclusio in causa, dilationes &c. Inrotulatio, transmissio actorum, &c.

*Responsio* vel litis contestatio est vel affirmativa annexa exceptione, vel negativa: Ad negativam, actori incumbit probatio actionis: ad affirmativam, reo incumbit probatio exceptionis suæ. Actore non probante reus absolvitur.

*Probatio* fit vel per testes juratos, vel per documenta recognita, vel per iuramentum, vel denique per præsumptiones.

Juramentum est vel *delatum* à parte parti: vel *suppletorium*, quod iudex ei, qui semiplene, h. e. per unicum testem probavit, vel *purgationis* ab iudiciis non semiplene probantibus. Juramentum in litem est, quo rei litigiosæ æstimatio fit ab actore.

*Sententia* alia est definitiva, alia interlocutoria, alia mixta.

*Res iudicata* est sententia, contra quam intra decendium remedium suspensivum non est interpositum, veluti *Appellatio*, qua devolvitur causa ad aliam instantiam, fatalibus certis observatis. Post elapsum decendium sententia impugnari potest, per *Revisionem*, per actionem nullitatis, per *Restitutionem in integrum*,

Exe-



*Executionis* partes sunt Executio in specie, Immissio, subhastatio & Adjudicatio.

§. XXXVIII.

Officium judicis tum in causis civilibus, tum in criminalibus versatur. *In. ult.*  
 Processus criminalis est itidem vel summarius, quo judex ex officio inquit: vel ordinarius, quo ad accusationem institutam. Inquisitio est vel generalis vel specialis, quæ à captura incipit, & constat examine ad articulos inquisitionales, confrontatione inquisiti & testium, defensione rei vel & probatione per torturam, cujus gradus sunt territio, & tortura realis, quæ iterum suis gradibus constat. Ordinarius processus criminalis cum civili fere convenit, nisi quod incarcerationio & tortura in criminali locum habeat.

Crimina & judicia ex iis competentia vel *publica* sunt, vel *extraordinaria*. Illa, quæ lege publica determinatam habent pœnam: hæc, quibus pœna arbitrio judicis relicta est, ut stellionatus, concussio, collegii illiciti crimen, &c.

*Actiones populares* vero sunt illæ, quæ cuivis è populo competunt, sive civiliter, sive criminaliter agatur.

Pœnæ

Pœnæ vel afficiunt bona, ut multa, confiscatio: vel famam, ut degradatio, infamia juris &c. vel corpus affligendo, ut carcer, exilium, fustigatio: vel vitam adimendo, quæ capitalis dicitur.

Publica judicia sunt,

*Læsa Majestatis* crimen, quæ est perduellio, cujus pœna est capitalis, confiscatio & damnatio memoriæ.

Blasphemia etiam capitaliter punienda.

Pacti cum diabolo & perjurii est arbitraria.

*Adulterij* pœna ex parte mariti jure Justin. est capitalis, ex parte uxoris est detrusio in monasterium.

Stupri violenti pœna capitalis est.

*Homicidium* est vel *voluntarium* ac dolosum, quod animo nocendi quovis modo constat, ejusque pœna est capitalis, sicut & *Assasinij*, & *Veneficii*, itemque *Parricidij*, gradibus tamen diversa: vel *culposum*, quod arbitrarie puniatur: vel *tumultuarium*, quo omnes tenentur, si incertus est occisor: vel *necessarium*, ex moderamine inculpatae tutelæ: vel *fortuitum*, quæ pœnæ non subjecta.

Falsi

*Falsi* crimen arbitrarie punitur: moneta vero falsificatio capitaliter.

*Vis publica* est, quæ armis fit regulariter, privata secus: arbitrarie punitur: Raptus mulierum capitaliter

*Peculatus* est subtractio pecuniæ publicæ à magistratu administrante; capitalis est.

*Residuorum* crimen ab officiali rationario commissum, arbitrarie punitur: ut & *sacrilegium*.

*Plagium* capitale est.


*Ambitus*, *repetundarum* five corruptionis, *dardanariorum* five fraudatæ annonæ, arbitrarie puniuntur.


*Incendiariorum* crimen capitaliter, vivi comburio.


F I N I S.



*Falsi*







Kor 1434 <sup>1</sup>

ULB Halle


3

004 312 570



an 3 nos TA 70  
hier aufgenommen  
nach Aust. an Reho-  
Ecke

WA



VIGELI  
IVRIS  
SCHILT  
IVRIS  
MATT  
VATION

K  
43







2.  
JO. SCHILTERI  
E P I T O M E  
JURIS PRIVATI,

SIVE  
*Totius Legitima Scientia prima*  
E L E M E N T A,  
JURI JUSTINIANO  
QUATENUS HOC USU FORI  
GERMANICI RECEPTUM,  
accommoda

*Tyronibus Juris Privati*  
*apprime necessaria.*



ARGENTORATI,

Sumptibus J. R. DULSSECKERI  
ANNO M. DC. XCVI. *CHB.*

